

**Sight Recitation
Area F 2002
Westlake High**

Advanced Prose

Ambiorix Incites the Nervians to Revolt

Hāc victōriā sublātus, Ambiorīx statim cum equitātū in Aduatucōs, quī erant eius rēgnō finitimī, proficīscitur; neque noctem neque diem intermittit, peditātumque sē subsequī iubet. Rē dēmōnstrātā Aduatucīsque concitātīs, posterō diē in Nervios pervenit hortāturque nē suī in perpetuum liberāndī atque ulcīscendī Rōmānōs prō eīs, quās accēperint, iniūriīs occāsiōnem dīmittant; interfectōs esse lēgātōs duōs magnamque partem exercitūs interīsse dēmōnstrat; nihil esse negōtī, subitō oppressam legiōnem, quae cum Cicerōne hiemet, interficī; sē ad eam rem profitētur adiūtōrem. Facile hāc orātiōne Nerviiīs persuādet.